

DISPUTATIO LOGICA

DE

Prædicatione,

in qua inprimis utilissima materia
de Prædicationibus exhibitivis
expenditur,

QVAM

SUB AUSPICIO DIVINI NUMINIS
Consensu Amplissimæ Facultatis

Philosophicæ

P R Æ S I D E

M. JOH. PAULO Lebenstreit/

Neust. ad Orl. Var.

publicæ ventilationi exponet

FRIDERICUS WILHELMUS Göber/

Lobedâ - Thuringus,

AUTOR,

Ad d. Jun.

AN. M. DC. LXXIII.

J E N Æ,

Literis JOH. DAV. WERTHERI.

ADMODUM REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE
EXCELLENTISSIMO VIRO
DN. CHRISTOPHORO
HEINRICO LOEBERO,
THEOLOGO CELEBERRIMO,
ECCLESIAE ORLAMUNDANÆ
PASTORI, AC DIOECESIOS SUPERINTEN-
DENTI GRAVISSIMO, VIGILANTISSIMO,
DOMINO PATRONO, FAUTORI
ATQUE PATRIO SUO OMNI HONORIS CULTU
ÆTATEM MACTANDO,

Qualemqualem hanc disputationem

Submissâ mente manuque

dicat, consecrat

FRID. WILH. LÖBER.



I. N. D.

THESIS I.

Prædicatio est vel formalis vel per communicationem.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I.

Prædicatio formalis est, cujus prædicatum formaliter inest subjecto secundum id, quod per ejus nomen significatur, vel secundum aliquam in ejus significato comprehensam partem, v. g. Homo est mortalis, Deus est immortalis, sunt prædicationes formales: Prædicatum enim prioris prædicationis $\tau\delta$ mortale competit subjecto nempe homini secundum aliquam partem in ejus significato comprehensam, videlicet secundum corpus, quod in significato hominis involvitur: Pariter prædicatum posterioris prædicationis $\tau\delta$ immortale competit Deo formaliter secundum id, quod vox Deus significat nempe secundum Deitatem. Exempla prædicationis formalis *Orthodoxis Theologis*, quod pace illorum attingere hîc liceat, sunt illæ prædicationes in articulo de Christo, in quibus loco subjecti ponitur Concretum Personæ seu suppositum ab utraque natura denominatum, & loco prædicati attributum alterius naturæ, v. g. Christus erat antequam Abraham esset, Christus est natus ex Maria Virgine, est passus, est mortuus: Prædicatum enim nempe fuisse ante Abrahamum competit subjecto nempe Christo secundum Deitatem, quæ in significato & conceptu

A 2

for-

formali Christi comprehenditur, it. passum, mortuum esse convenit Christo secundum humanitatem itidem in conceptu formali Christi contentam: Nam Christus in conceptu suo formali & significatu duas naturas, divinam & humanam includit.

§. 2. Prædicatio per communicationem est, quando prædicatum subiecto non inest secundum illud, quod per ejus nomen significatur, vel secundum aliquam partem in ejus conceptu ac significatu comprehensam, sed convenit subiecto secundum aliquid in ejus conceptu formali non comprehensum, quod cum eo unitum est. Et hanc esse naturam prædicationum per communicationem, ipse usus loquendi approbat. Quod enim subiecto competit per se & formaliter, id ipsi non convenit per communicationem: Competere enim subiecto per se seu formaliter, & competere subiecto per communicationem sunt opposita, & simul in uno eodemque subiecto consistere nequeunt. Quodcunque verò subiecto convenit per se & non per communicationem, illud etiam de subiecto per communicationem affirmari nequit. E.g. ferrum est calidum; Nam prædicatum τὸ calidum subiecto nempe ferro non convenit formaliter & secundum essentiam, aut secundum aliquid ad naturam ferri spectans, sed secundum aliquid, quod cum ferro unitur, nempe secundum ignem, qui formaliter est calidus. Tales prædicationes per communicationem adferuntur ab *Orthodoxis Theologis* in articulo de Christo, ubi (quod venia ipsorum saltem recensemus) de concreto unius naturæ enunciatur proprietas alterius naturæ nempe de concreto divinæ naturæ idioma humanæ naturæ, & de concreto humanæ naturæ proprietas divinæ naturæ, e.g. Deus vel Filius Dei est passus, mortuus. Nam passum, mortuum esse non convenit Deo locò subiecti posito ratione ejus, quod per vocem Deus significatur, sed secundum aliquid in Dei significatu non comprehensum, nempe secundum humanam naturam, quæ cum divina natura Christi subsistentia τὸ λόγῳ propria unita est & subsistit.

§. 3.

§. 3. Notandum autem est, quòd, cùm prædicationes illas, in quibus proprietas alterutrius naturæ affirmatur de concreto personæ, vocamus prædicationes formales non verò prædicationes per communicationem, hoc non ita fit intelligendum, quasi *Orthodoxis Theologis* aduersetur, & illas è *generibus communicationis idiomatum* velimus exclusas. Aliud enim est prædicatio per communicationem, aliud verò prædicatio quæ spectat, aut quocunque modo referri potest ad aliquod genus communicationis idiomatum. Prædicatio per communicationem est, quando prædicatum subiecto non competit formaliter & secundum illud, quod per subiecti nomen significatur vel secundum aliquam partem in subiecti conceptu comprehensam: Prædicationem verò spectantem ad aliquod genus communicationis idiomatum *Venerandi Theologi* vocant, quæ supponit unionem hypostaticam & ex eâ profluentem participationem priorum, divinæ & humanæ naturæ in Christo *θεανθρώπων* ab alterutra, vel utrâque naturâ simul denominato. Potest igitur aliqua prædicatio ad aliquod genus communicationis idiomatum commodè referri, ut tamen non fit per communicationem, sed formalis: E. g. cùm dicitur: Christus pro nobis satisfecit, hæc prædicatio juxta *Theologos* formalis est, cùm satisfactio iisdem doctibus competat subiecto videlicet concreto personæ secundum illud, quod in ejus significatu & conceptu formali includitur, nempe tum secundum divinam, tum secundum humanam naturam: Ad hoc enim *ἀποτέλεσμα* *Theologi* concurrere docent tum humanam naturam patiendo, moriendo, tum divinam naturam, quòd naturam humanam personaliter sibi unitam pati & mori permisit, quòd humanam naturam in ipsâ passione corroboravit ac sustentavit, quòd Passioni & Morti infinitum valorem addidit: quò non obstante hanc prædicationem ad aliquod genus communicationis idiomatum nempe ad tertium *Theologi* reducunt, quibus hæc, utpote ad cathedram nostram non spectantia, accepta ferimus ac relinquimus, usum saltem mutuati.

A 3

§. 4.

§. 4. Ex dictis facile perspici potest illud discrimen, quod assignant *Theologi Venerandi* inter prædicationes, ubi idioma unius naturæ prædicatur de alterius naturæ concreto e. g. Filius Dei est passus, & inter prædicationes, in quibus alterutrius naturæ proprietas de Concreto Personæ affirmatur, e. g. cum dicitur: Christus est passus. Nam docent, illas prædicationes esse per communicationem, & habere prædicatum subiecto competens secundum aliquid in formali ejus conceptu non comprehensum; has verò esse formales & habere prædicatum subiecto formaliter competens secundum illud, quod per nomen subiecti significatur, aut secundum aliquam partem in subiecti conceptu ac significato contentam: E. g. cum dico: Filius Dei est mortuus, prædicatur proprietas unius nempe humanæ naturæ de concreto alterius naturæ videlicet divinæ, & hæc prædicatio est per communicationem seu habet prædicatum Filio Dei competens secundum aliquid in formali ejus conceptu non inclusum, nempe ratione humanæ naturæ, à Filio Dei assumptæ, quæ in formali Filii Dei conceptu non involvitur. Contrà, quando dico: Christus est passus, prædicatur proprietas alterutrius naturæ nempe humanæ de concreto personæ, & hæc prædicatio est formalis, cum passum esse conveniat Christo ratione humanæ naturæ in formali Christi conceptu comprehensæ. Ita nos docet *Magnif. Dn. D. Bechmannus notis in Hutt. loco III. de Christo.*

TH. II.

Prædicatio inusitata non est confundenda cum prædicatione impropriâ.

Εκθεσις.

§. I.

Calviniani prædicationem inusitatam habent pro impropria, ut obtinere possint, propositiones illas, quibus Salvator in institutione Cœnæ usus est, nempe, Hoc est Corpus meum, Hoc est Sanguis meus, itemque has

has Ecclesiasticas: Panis est Corpus Christi, Vinum est Sanguis Christi, (nam has Calviniani, quamvis malè, pro iisdem habent,) esse improprias. Ita enim ait *Fortunatus Crellius* lib. 2. part. com. Log. c. 3. divis. 2. *Enunciatio figurata est disparatorum & pugnantium. It: Inusitata enunciatio aliud reverà nihil est, quàm impropria.*

§. 2. *Edmundus Albertinus Pastor Parisiensis cap. XIII. lib. I. de Eucharistia Sacramento* ita argumentatur: *Ubicunque disparatum de disparato prædicatur, ibi necessariò aut figurata est aut falsa enunciatio, At in hac propositione: Hoc est corpus meum, disparatum de disparato prædicatur, E. aut figurata est aut falsa. Non autem est falsa, E. figurata.*

§. 3. *Johannes Heinricus Hottingerus disp. Heidelb. disp. 7.* ut evincat, verba Institutionis improprie esse sumenda, argumentatur h. m. *Quod Christus accepit, fregit, & dedit discipulis, id dicit corpus suum, Atqui Christus accepit panem, fregit, & dedit discipulis, E. panem dicit corpus suum, & quidem non proprie, cum natura disparatorum repugnet, E. figuratè vel improprie.*

§. 4. Verùm non omnis prædicatio inusitata statim est impropria. Nam prædicationes, quas Theologi personales, vocant, ut, *Deus est Homo, Homo est Deus,* sunt inusitatae, cum in illis disparatum de disparato prædicetur in casu recto, ut utrumque nomine substantivò significetur, quæ est natura prædicationis inusitatae; neque tamen sunt improprie, cum nulla in iis vox ostendi possit, quæ à nativa sua significatione recedat. Respondent igitur *Venerandi Theologi* ad argumentum *Albertini* §. 2. adductum (quantum quidem ad præsens spectat) negando majorem. Nam subjectum & prædicatum in propositionibus personalibus sunt disparata, nec tamen illæ prædicationes aut figuratae sunt aut falsæ. Vid. *Magnif. Dn. D. Bechmanni disp. inaug. §. 46.* Quod attinet argumentum *Hottingeri*, ad illud prælaudatus *Dn. D. Bechmannus prælect. publ. in Form. Concord. art. 7.* respondet, si vel maximè concedatur, Christum in his verbis: *Hoc est corpus*

pus

pus meum, panem vocare corpus suum, non tamen sequi, quod corpus Christi de pane improprie predicetur. Neque enim natura disparatorum obstat, ut *Hottingerus* contendit, quod minus Corpus Christi de pane proprie predicetur, quia predicatio inusitata, in qua disparatum de disparato predicatur proprie, in casu recto, & nomine substantivo, potest esse propria, ceu predicationes personales, Deus est Homo, Homo est Deus, evincunt.

§. 5. Excipit hic *Fortun. Crellius lib. 2. part. comm. Log. cap. 3.* predicationes personales, Deus est Homo, Homo est Deus non esse inusitatas. Dicit, in istis, quae sunt de Christo Filio Dei, enunciationibus, sive Deus, sive Homo subjiciatur, semper τὸ λόγος ὑπόστασις supponi, & de ea predicatum enunciari, sed hominem ratione carnis assumta, Deum respectu verbi assumptis, itaque nihil disparatum hic, nihil inusitatum esse, cum ejusmodi locutiones in scripturis sint usitatae: & si haec inusitata dicenda essent, etiam figuratas inusitatas fore, quando inusitata enuntiatio aliud revera nihil est, quam impropria. Resp. Quod primo dicit *Crellius*, in istis predicationibus semper supponi τὸ λόγος ὑπόστασις, id concedimus. Veritas enim predicationis nititur reali inter subjectum & predicatum identitate, qualis hic inter concreta divinae & humanae naturae non intercedit, nisi ratione ὑπόστασεως, seu subsistentiae, qua numero eadem duae illae naturae inter se unitae subsistunt. Quando (2.) ait: in predicationibus personalibus nihil disparatum, nihil inusitatum esse, cum ejusmodi locutiones in scripturis sint usitatae, Resp. 1. Si ideo in predicationibus personalibus nihil disparatum occurrit, quia sunt in scripturis usitatae, etiam in predicationibus impropriis, e. g. Herodes est vulpes, Christus est via, ostium, panis, &c. nihil disparatum occurreret, cum tales predicationes impropriae scripturis Sacris sint familiares: At vero hoc adversatur *Crellio*, qui hoc ipso *cap. 3.* asserit, predicationem figuratam esse disparatorum & pugnantium. 2. Resp. ex eo, quod predicationes haec: Deus est Homo, Homo est Deus, in scripturis sunt usitatae, non potest inferri, quod

quòd nihil ibi inusitatum deprehendere liceat. Cùm enim prædicationes Personales vocamus inusitatas, id non ita intelligimus, quasi in Scripturis Sacris inusitatae sint, sed quòd in totâ rerum universitate similes non reperiantur, ut scilicet disparata de se invicem in casu rectò propriè & nomine substantivò affirmantur. Quando *Crellius* (3.) inquit, si hæ prædicationes inusitatae dicendæ essent, etiam figuratæ inusitatae forent, quando inusitata enunciatio aliud reverà nihil est, quàm impropria, Resp. petitur id, quod est in principio. Hoc enim, quòd prædicatio inusitata aliud reverà nihil sit quàm impropria, tamdiu negamus, donec ostendatur, in his prædicationibus: Deus est Homo, Homo est Deus, aliquam vocem deferere nativam suam significationem.

§. 6. *Crellius* l. c. pro se citat *Thomam*, qui ait: Et ideò hoc nomen homo univocè dicitur de Christo & Petro, quia utrobique significat unam naturam, scilicet humanam, compositam ex anima & corpore, sed in Christo supponit suppositum æternum, quod non supponit in Petro. Verùm *Crellius* hic statum questionis mutat. *Thomas* enim loquitur de concretò Personæ, h. e. Suppositò ab utraque natura denominatò nempe de Christo, de quo concretum alterutrius naturæ utique univocè dicitur, & cujus respectu concretum alterutrius naturæ non est disparatum: Inter nos autem & Reformatos controvertitur de eò, utrum concreta naturæ se invicem ut disparata respiciant.

§. 7. Excipit *Marcus Friedericus Wendelinus* in *Syst. maj. Christ. Theol. lib. 1. cap. 23.* quod Deus & Homo non sint disparata, & laudat *Cajetanum*, qui in *Thom. p. 3. qu. 16. a. 1.* dicit, Hominem affirmari de Deo ut speciem de suâ hypostasi. Resp. (1.) Deus & Homo utique sunt disparata, cùm iis definitio disparatorum competat, ut ex Log. constat. (2.) Si homo affirmatur de Deo ut species de suâ hypostasi, necesse est, hominem seu naturam humanam spectare ad essentiam divinæ *ὑποστάσεως*: Species enim est prædicabile essentiale, seu

B

iis,

iis, quorum est species, essentialiter competit: At verò absurdum est, hominem seu naturam humanam essentialiter prædicari de hypostasi divina, & ad rationem *ὑποστάσεως* divinæ pertinere.

§. 8. *Edmundus Albertinus lib. 1. de Eucharist. Sacram. cap. 13.* excipit, in propositionibus Personalibus non prædicari disparatum de disparato, cùm in hac: Deus est Homo, homo prædicetur ut species de individuo, in alterâ verò, Homo est Deus, Deus prædicetur ut proprium de individuo, adeoque non tanquam disparatum. Verùm Deus & Homo utique sunt disparata, quia definitionem disparatorum non respuunt. Quod ait *Albertinus*, in hac prædicatione: Deus est Homo, hominem prædicari de Deo ut speciem de individuo, id bifariam potest intelligi (1.) absolutè, quod prædicetur id, quod aliàs est species, de eo, quod est individuum, (2.) respectivè, quòd prædicetur species aliqua de suo individuo, ad cuius essentiam pertinet. Si priori modo intelligitur, verum est, quòd prædicetur species de individuo, sed inde non sequitur, quòd ibi disparatum de disparato non dicatur. Nihil enim obstat, quò minus ea, quorum unum est individuum, alterum species, sint disparata: E. g. Petrus & Leo sunt disparata licet Petrus sit aliquod individuum, Leo autem aliqua species. Si posteriori modò capiatur, id manifestò falsum est, cùm species sit prædicabile essentialiter, & ad ejus, cuius est species, essentiam ac naturam spectet, hoc autem prædicatum Homo non pertineat ad essentiam Dei, quod vel inde patet, quia id, quod alicui est essentialiter, semper ei competit, at verò hominem esse Deo ab æterno tribui non potuit. Quod dicit *Albertinus*, in hac prædicatione: Homo est Deus, Deum prædicari tanquam proprium de individuo, id quoque admitti nequit. Nam ea proprii ratio est, ut necessariò ejus, cuius dicitur proprium, essentiam consequatur, & cum eo reciprocetur, sicut v. g. capacitas doctrinæ neces-

Quis

sariò fluit ex essentia hominis, & cum homine recipitur:
Quis verò dixerit, Deum fluere ex essentia hominis, & cum
homine recipi?

TH. III.

In tradenda prædicationis exhibitivæ natura
ad tria respiciendum est (1.) ad Subjectum
(2.) Prædicatum (3.) Copulam.

Ἐκθεσις.

§. 1.

Prædicatio exhibitiva vocatur, qua utimur, cum aliquid
damus vel exhibemus: E. g. prædicatio exhibitiva est,
cum quis porrecto cantharo inquit: Accipe, bibe, hoc
est vinum. Tales propositiones sunt etiam illæ, quibus
Salvator in institutione cœnæ usus est, *τὸ οὖν τὸ σῶμά μου,*
τὸ οὖν τὸ αἷμά μου. His enim Salvator usus est, cum in,
cum, & sub pane ipsam veri & naturalis corporis sui substan-
tiam edendam, & in, cum, & sub vino ipsam veri ac natu-
ralis sanguinis sui substantiam discipulis suis bibendam ex-
hiberet, de quibus videantur Theologi.

§. 2. Sicut autem in aliis prædicationibus, ita etiam
in prædicationibus exhibitivis tria expendenda veniunt (1.)
Subjectum (2.) Prædicatum (3.) Copula.

§. 3. Subjectum vel pars subjecti in prædicationibus
exhibitivis est pronomen demonstrativum HOC, quòd bi-
fariam potest accipi. Primò enim tantum demonstrandi
vim obtinet, cum videlicet aliquod substantivum sibi adjun-
ctum habet. Ita accipitur in his prædicationibus: Hoc li-
gnum est preciosum, Hoc vinum est sanum &c. In talibus
enim prædicationibus tantum vim demonstrandi obtinet,
nempe vim demonstrandi eam rem, quæ per adjunctum no-
men substantivum exprimitur. Secundò non tantum vim
demonstrandi obtinet, sed & ipsam rem, quæ exhibetur, signi-
ficat,

B 2

ficat,

ficat, non quidem distinctè & sub conceptu proprio seu specifico, sed confusè tantùm & sub communi ratione entis vel rei. Ita accipitur, cum illi aliquod nomen substantivum non est additum, e. g. cum porrectò cantharò dicitur: Hoc est vinum, aut cum porrectâ crumena dicitur: Hoc est argentum: Quia enim pronomini HOC in his prædicationibus nullum nomen est additum, sensus est: Hæc res, hoc ens, (quod est in cantharo) est vinum, Hæc res, hoc ens, (quod est in crumena) est argentum. Porro hîc circa subjectum notandum venit, quòd, quando exhibentur duo unionem inter se habentia, quorum alterum sensibus patet, alterum verò sub eo, quod sensibus obvium est, latet adeoque sensibus subtractum est, pronomen demonstrativum Hoc designet concretum quid ex duobus unitis, seu denotet non solum id, quod sensibus est subductum, sed & illud, quod sensibus obvium est, aliâ tamen atque aliâ ratione. Illud enim, quod sensibus non est expositum, designat formaliter seu in recto, alterum autem, nempe illud, quod sensibus obvium est, significat in casu obliquo & per modum connotati: E. g. cum porrectâ crumena dicitur: Hoc est pecunia, pronomen Hoc formaliter & in casu recto significat id, quod per prædicatum distinctè exprimitur & quod sensibus non est obvium, nempe pecuniam: Sed quia pecunia non absolutè & in se, sed quatenus in crumena est, consideratur, & cum crumena porrigitur, idcirco pronomen demonstrativum Hoc designat ipsam quoque crumenam, sed tantùm in obliquo & per modum connotati, ut sensus propositionis hic sit: Hoc ens, quod est in crumena, est pecunia. Pariter cum medicus quidam porrectò cibò, cui efficax contra morbum remedium mixtum est, dicit decumbenti: Hoc est efficax contra morbum medicamentum, pronomen HOC formaliter & in casu recto designat id, quod in prædicato exprimitur, nempe medicamentum: Quia verò medicamentum hîc non spectatur absolutè & in se, sed prout edulio admixtum est, ideò cibum quoque, qui sub sensu cadit, denotat,

notat, verum in obliquo saltem & per modum connotati.

§. 4. Hic Calviniani exagitant illos, qui per pronomen HOC in prædicationibus exhibitivis duas res unitas designari statuunt. Dicunt enim, non posse asseri de crumena & auro, quod sit aurum, & dici, Hæc crumena & aurum in eâ est aurum; sequi tamen hoc ex illo, si illud Hoc in hac prædicatione; Hoc (ostensâ crumenâ) est aurum, denotet & crumenam & aurum simul. Mirari profectò subit, Calvinianos ita mentem nostram pervertere. Ex dictis enim liquidò constat, nostram sententiam non esse, quod pronomen Hoc duas res unitas æqualiter, & utramque earum in casu recto designet, sed mens nostra est, quod particula δεικτική Hoc duas res designet inæqualiter, unam in casu recto, alteram in obliquo, ut, cum porrectâ crumenâ dicitur: Accipe, hoc est aurum, sensus sit: Hæc res, quæ est in crumena, est aurum. Si mens nostra esset, quod particula δεικτική utrumque unitorum æqualiter & in casu recto significet, tum sequeretur, crumenam & aurum esse aurum. At ex nostra sententia, quod in hac prædicatione: Hoc (porrectâ crumenâ) est aurum, particula δεικτική Hoc aurum formaliter & in casu recto, crumenam autem in casu obliquo significet, nullo prorsus modo evinci potest, quod crumena & aurum junctim sumta & in casu recto posita aurum sint. Quando enim subjectum duo involvit, unum in casu recto, alterum in obliquo, non sequitur, necessum esse, ut prædicatum etiam de utroq; affirmetur posito in casu recto. E. g. cum dicitur: Homo est albus, subjectum homo duo involvit, unum in recto, alterum in obliquo: Quod importat in casu recto, est res habens humanitatem, quod denotat in obliquo, est humanitas ipsa: sed non necesse est, ut prædicatum efferatur de humanitate in casu recto posita h. m. Humanitas est alba: Hæc enim prædicatio planè est absurda.

§. 5. Excipiunt Reformati: Si dico, hoc, (ostensâ crumenâ auro repleta) est tuum, utique & aurum & crumena tua

erit. Resp. Nihil aliud sequitur, quàm quòd *interdum* in casu recto prædicatum possit affirmari de eo, quod in subjecto involvitur in casu obliquo, tum scilicet, cum inter prædicatum & inter illud, quod in subjecto involvitur in casu obliquo, nulla intercedit repugnantia quoad prædicationem, sicut cum dicitur: Hoc (ostensâ crumenâ auro refertâ) est tuum, inter prædicatum nempe τὸ tuum, & inter illud, quod in subjecto involvitur in casu obliquo nempe crumenam, nulla intercedit repugnantia quoad prædicationem: Sæpius autem inter prædicatum & inter id, quod in subjecto involvitur in casu obliquo, quædam repugnantia quoad prædicationem intercedit, sicut e. g. cum dicitur, Hoc (ostenso dolio) est vinum, inter prædicatum nempe vinum & inter dolium, quod per pronomen Hoc in casu obliquo significatur, quædam repugnantia quoad prædicationem intercedit: Tali igitur in casu prædicatum de eo, quod in subjecto involvitur in casu obliquo, non dicitur in casu recto.

§. 6. Excipiunt Calviniani: Si dicatur, in hac prædicatione: Hoc (ostenso dolio) est vinum, vinum per particulam HOC denotari in casu recto, dolium in obliquo, ut sensus sit: Hæc res, quæ est in dolio, est vinum, sic subjectum non esse complexum ex dolio & vino, sed ens simplex, nimirum solum vinum, & reliqua verba esse connotativa subjecti & dicere, ubi & in quo sit vinum; ex nostra autem sententia particulam Hoc duo, vinum scilicet & dolium denotare. Verùm licet particula δεκτηνῆ, quæ subjecti locum obtinet, dolium denotet in casu obliquo, vinum verò in casu recto, adhuc tamen subjectum est complexum ex dolio & vino, h. e. ad subjectum spectant dolium & vinum. Illud enim est subjectum, de quo aliquid dicitur: Atqui in hac prædicatione: Hæc res, quæ est in dolio, est vinum, aliquid nempe τὸ vinum affirmatur de toto illo: Hæc res, quæ est in dolio, Ergò totum illud: Hæc res, quæ est in dolio, est subjectum. Distinguimus igitur inter connotativum subjecti & inter connotativum in subjecto. Verba: quæ est in dolio, sunt connotativa in subjecto istius prædicationis:

nis: Hæc res, quæ est in dolio, est vinum, seu in subjecto illius prædicationis se habent per modum connotati, sed non sunt connotativa subjecti, seu subjecto non contradistinguuntur ceu ejus connotativa. Et quid in hanc controversiam evagantur *Reformati*? Nimirum satis gnari, se contra apertam veritatis vim nihil posse in medium adferre, ad peregrinas dilabuntur quæstiones. Sanè aut concedunt, illius prædicationis, Hoc (ostensô doliô) est vinum, sensum esse hunc: Hæc res, quæ est in dolio, est vinum, aut negant. Si negant, alium nobis monstrant sensum commodiorem, quod nondum fecerunt. Si concedunt, vel inviti fateri necessum habent, particulam Hoc, quæ est subjectum, denotare & vinum & dolium, sed inæqualiter, vinum in casu recto, dolium verò in casu obliquo. Si concesserint nobis, in illa prædicatione: Hoc (ostensô doliô) est vinum, particulam Hoc denotare & vinum & dolium, sed inæqualiter, habemus quod volumus, nec cum illis multum contendemus, utrum dolium, quod per particulam Hoc designatur in obliquo, subjecti pars sit, an verò tantum subjecti connotativum. Cum enim à Nostratibus asseritur, in hæc prædicatione: Hoc (ostensô doliô) est vinum, pronomen demonstrativum designare complexum ex dolio & vino, id potissimum significatur, quòd pronomen Hoc duas res unitas involvat, vinum in casu recto, dolium verò in casu obliquo.

§. 7. Hactenus de prima parte prædicationis exhibitivæ, nempe de subjecto. Agendum nunc est de prædicato. Hoc in prædicationibus exhibitivis & nihil aliud, ne quidem series verborum antecedentium & consequentium, tuto & infallibiliter ostendit, quænam distinctè & sub ratione magis propria & specifica sit res illa, quæ per pronomen Hoc in casu recto confuse designatur, quòd nimirum sit ipsa res in prædicato distinctè significata. Nam cum cantharô, qui vinô plenus est, porrectô dicitur: Accipe, bibe, hoc est vinum, prædicatum nempe vinum docet, quænam distinctè sit res illa, quæ per pronomen Hoc subjecti loco positum in casu

casu recto denotatur, quod nempe non sit cantharus, qui sensibus est obvius, sed vinum in cantharo. Pari ratione cum exhibitō marsupio, quod argentō refertum est, dicitur: Accipe, hoc est argentum, prædicatum ostendit, quænam distinctè sit res illa, quæ per pronomen Hoc confuse significatur, nempe quod non sit marsupium, quod sub sensu cadit, sed argentum in marsupio comprehensum. Contrà quando porrectō marsupio dicitur: Accipe, hoc est marsupium, prædicatum indicat, quænam sit res illa, quæ per pronomen Hoc confuse designatur, nimirum quod sit marsupium. Ipse Johannes Vorstius, *Reformatus* existimat, quod prædicatum exprimat, quodnam distinctè sit illud, quod per pronomen demonstrativum Hoc in prædicationibus exhibitivis in casu recto confuse significatur. Disertè enim docet lib. 1. *Diss. Sacr. cap. 8.* quod, quid in prædicatione ista: Accipe, bibe, hoc est vinum, illud sit, quod accipiendum & bibendum est, ex prædicato demum sit intelligendum, & ex ipso vocabulo vinum quidem.

§. 8. Studiō dixi, quod solum prædicatum & nihil aliud exprimat, quodnam distinctè sit illud, quod per pronomen Hoc confuse designatur. Licet enim in aliquo contextu nulla fiat mentio illius rei, quam prædicatum distinctè exprimit & sermo sit de alia re diversissimâ, ex prædicato tamen propositionis exhibitivæ colligi debet, quodnam distinctè sit illud, quod per pronomen Hoc subjecti loco positum confuse & sub communissimo entis vel rei conceptu designatur. E. g. si referatur, medicum quendam confici jubere cibum in gratiam ægrotantis, variis modis eum tractare, tandemque (medicamentō clam ei infusō) dicere: Accipe, ede, hoc est efficacissimum medicamentum, nihil ibi de medicamento in antecedentibus commemoratur, & cibi saltem sit mentio. Cæterum quid pronomen Hoc in casu recto denotet, ex antecedentibus non liquet: Neque enim significat cibum, ut sensus sit: Hic cibus est efficacissimum medicamentum: Quod autem in casu recto denotet ipsum medicamen-

camentum, ut sensus sit: Hoc ens, quod sub cibo hæcenus præparato tibi porrigo, id distinctè constat ex prædicato, quod est medicamentum. Vid. *Maximè Rever. Dn. D. Bechmanni Disp. inaugur.*

§. 9. Tertiò in prædicationibus exhibitivis notanda est copula, quæ, sicut in omnibus aliis prædicationibus, ita & in prædicationibus exhibitivis denotat realem identitatem inter prædicatum, & inter illud quod in subjecto in casu recto involvitur. E. g. cum dicitur exhibitâ crumena: Hoc est aurum, pronomen demonstrativum Hoc in casu recto denotat ipsum illud, quod in prædicato exprimitur ut sensus sit: Hæc res, quæ est in crumena, est aurum; hic igitur Copula est denotat realem identitatem inter prædicatum, quod est aurum, & inter illud, quod in subjecto in recto involvitur, quod est hæc res. Dico: quod in subjecto *in casu recto* involvitur. Neque enim notat realem identitatem inter prædicatum & inter id, quod in subjecto involvitur in casu obliquo: E. g. cum dicitur: Hoc (ostensâ crumena) est aurum, verbum EST non significat, quod aurum realiter idem sit cum crumena, quæ per pronomen HOC in casu obliquo designatur: neque enim crumena est aurum.

§. 10. Eodem modo de prædicationibus exhibitivis sentit ipse *Joh. Vorstius Reformatus lib. 1. dissert. sacr. c. VI. IIX. & IX.* cum docet, quod, qui porrecto cantharò alteri dicit: accipe, bibe, hoc est vinum, significet, hoc, quod cum vel in cantharo accipere jubet, esse vinum: Ex quibus liquidum esse potest, ipsum quoque Vorstium existimare, quod in prædicatione exhibitiva, Hoc est vinum, pronomen demonstrativum HOC in casu recto denotet id, quod distinctè in prædicato exprimitur, in casu autem obliquo cantharum seu vas, in quo est vinum, adeoque designet totum complexum, vinum scilicet & cantharum, illud in casu recto & formaliter, hunc verò in casu obliquo & per modum connotati.

§. 11. Atque eodem modo de prædicationibus exhibitivis philosophatus est *B. Lutherus in Confess. maj. Tom. III. Jen.*

C

fol.

fol. 487. ceu hoc more suo, h.e. accuratè & solidè ostendit B. Johannes Musæus in diss. contra Vorst. pag. 160. seqq.

§. 12. Quòd autem prædicationes exhibitivæ hætenus rectè à nobis fuerint explicatæ, sic ostendimus: Primò si prædicationes istas minus rectè sumus interpretati, aut pronomen HOC in casu recto designaret tantùm illud, quod sensibus est obvium, aut denotaret in casu recto tùm illud, quod sensibus est obvium, tùm id, quod subsensus non cadit. Atqui in casu recto non designat solum id, quod sensibus est obvium, cùm enim dicitur: Hoc (ostensò marsupio) est aurum, marsupium non est aurum: neque utrumque simul in casu recto denotat: Quando enim dicitur: Hoc (ostensò marsupio) est aurum, aurum & marsupium non sunt aurum. Porro quòd pronomen HOC in ejusmodi prædicationibus exhibitivis etiam connotet seu in casu obliquo designet id, quod sub sensu cadit, facile potest probari. Illud enim, quod per pronomen HOC in casu recto denotatur & in prædicato distinctè exprimitur, non spectatur absolutè & in se, sed prout est in eo, quod sensibus est obvium: E.g. cum porrectò cantharò dicitur, Accipe, bibe, hoc est vinum, particula δευτερον HOC in casu recto significat vinum: sed vinum non absolutè & in se, sed, prout est in cantharo, & prout unà cum cantharo exhibetur, consideratur. Idcirco cantharum quoque, qui sub sensu cadit, designat, sed in obliquo & per modum connotati. Meritò igitur miramur quosdam ex Calvinianorum grege, qui, ubi Nostrates hunc esse sensum prædicationum exhibitivarum contendunt, non verentur scribere, ea, quæ maximè controversa sunt, pro certis & demonstratis supponi. Constat profectò, hanc explicationem immotis niti fundamentis, & qui ea convellere conatur, communem loquendi consuetudinem impugnare.

§. 13. Tandem hîc notandum est, quòd prædicationes exhibitivæ hoc modo explicatæ non evadant impropriæ. Neque enim, ut Reformati recentiores contendunt, stante hæc nostrâ explicatione in subjecto continens ponitur pro contento, cum

cum illud ipsum, quod continetur, & in eo, quod sensibus est
obvium, latet, per pronomen HOC formaliter & in casu re-
cto significetur, illò, in quò latet, saltem connotatò, & de-
notato in casu obliquo. Quando autem subjectum duo im-
portat, unum in casu recto, alterum in obliquo, & prædica-
tum realiter idem est cum subjecto saltem ratione ejus, quod
in subjecto involvitur in casu recto, non sequitur, quod con-
tinens ponatur pro contento: E.g. in hac prædicatione: Ho-
mo est justus, subjectum duo importat, unum in recto, alte-
rum in obliquo; quod in casu recto involvit, est res habens
humanitatem, quod designat in casu obliquo est ipsa hu-
manitas & prædicatum nempe *justum* realiter idem est
cum subjecto saltem ratione ejus, quod in subjecto involvi-
tur in casu recto, neque enim rectè dico: humanitas est justa.
Quis verò dixerit, in hac prædicatione: Homo est justus,
continens poni pro contento?

§. 14. Ad prædicationes exhibitivas hætenus traditas
exactè quadrant prædicationes, quibus Salvator in institu-
tione Cœnæ usus est, HOC EST CORPUS MEUM, HOC
EST SANGVIS MEUS. Primò enim, ut Theologi docent,
pronomen demonstrativum HOC in casu recto & formaliter
designat id, quod in prædicato exprimitur, & quidè denotat
illud confuse & sub communi ratione entis vel rei, h. m. Hoc
ens, hæc res est corpus meum. Secundò prædicatum, nempe
corpus meum, distinctè exprimit, quæ sit illa res, quæ per pro-
nomen HOC in casu recto denotatur, nimirum corpus
Christi. Tertiò pronomen demonstrativum HOC panem
quoque & vinum, quæ sub sensu cadebant, designat, sed in
casu obliquo & per modum connotatorum. Sensus igitur
prædicationum, quæ Salvator usus est, juxta ipsos Theolo-
gos genuinus huc redit: *Hæc res, quam unà cum pane vobis co-
medendam porrigo, est corpus meum, Hæc res, quam unà cum vi-
no vobis bibendam porrigo, est sanguis meus.*

§. 15. Dum propositiones Salvatoris juxta commu-
nem loquendi consuetudinem interpretamur, clamant Cal-
viniani,

viniani, nos petere principium. Supponi enim à nobis, 'Corpus Christi esse in, cum, & sub pane, & ex hoc supposito deduci illud, quod prædicationes Salvatoris eundem sensum cum aliis propositionibus exhibitivis habeant. Urgent porro, quod propositiones Salvatoris, si sint tales, quales sunt vulgares istæ exhibitivæ, etiam sint improprie. Hanc enim propositionem, Hoc, ostenso dolo est vinum, esse improprie, ubi continens pro contento sumitur.

§. 16. Verum quod propositiones Salvatoris eundem cum aliis prædicationibus exhibitivis sensum habeant, non deducimus ex hoc supposito, quod Corpus Christi sit in, cum, & sub pane, sed ex naturâ prædicationum exhibitivarum. Nam in prædicationibus exhibitivis pronomen demonstrativum Hoc, si aliud substantivum sibi non habet additum, non tantum demonstrandi vim obtinet, sed & designat ipsam rem, confuse tamen & saltem sub communi ratione entis aut rei, ut idem notet ac hæc res, hoc ens. Jam verò in propositionibus Salvatoris pronomen demonstrativum HOC nullum substantivum sibi habet additum, Ergò non tantum demonstrandi vim obtinet, sed & designat ipsam rem, confuse tamen & sub communi entis aut rei conceptu, h. m. Hæc res, hoc ens. Secundo in prædicationibus exhibitivis prædicatum distinctè docet, quodnam sit illud, quod per pronomen demonstrativum HOC confuse designatum fuit, nempe illud ipsum, quod in prædicato sub conceptu magis proprio denotatur. Ergò etiam in propositionibus Salvatoris, quæ sunt prædicationes exhibitivæ, prædicatum distinctè docet, quodnam sit id, quod per pronomen HOC in subjecto confuse designatum fuit, nimirum ipsum Christi Corpus, aut ipse Christi Sanguis. Tertiò si una res ita exhibetur, ut sensibus sit obvia, altera autem per prædicatum quidem designatur, sub sensu tamen non cadit, pronomen HOC in prædicationibus exhibitivis utramque rem denotat: Illam rem, quæ sensibus est obvia, significat in casu obliquo, hanc verò, quæ sensibus

senfibus non est exposita, designat formaliter & in casu re-
cto. Jam verò cum Salvator has propositiones: Hoc est
Corpus meum, Hoc est Sanguis meus, enunciaret, una res
ita exhibebatur, ut sensibus esset obvia, nempe panis & vi-
num, altera autem ita porrigebatur, ut sub sensibus non cade-
ret, nempe Corpus aut Sanguis Christi: Quod autem unà
cum pane & vino exhibuerit Christus Corpus & sanguinem
suum, hinc non supponimus, sed jam ex natura prædica-
tionibus exhibitivis docere prædicatum, quodnam sit illud,
quod per pronomen demonstrativum HOC confuse signifi-
catur. Ergò pronomen demonstrativum HOC denotat &
panem seu vinum, & Corpus seu Sanguinem Christi, pa-
nem seu vinum in casu obliquo, Corpus seu Sanguinem
Christi in casu recto.

§. 17. Neque sequitur, propositiones Salvatoris, si sint
tales, quales sunt vulgares exhibitivæ, esse improprias: Hæc
enim propositio, Hoc, ostenso dolio, est vinum, non est im-
propria, ubi continens pro contento sumitur. Aut enim
ideò continens pro contento sumi putant *Calviniani*, quia
dolium solum per pronomen demonstrativum HOC in casu
recto significatur, aut quia dolium & vinum simul sumta
in casu recto designantur, aut quia per pronomen HOC
vinum & dolium inæqualiter denotantur, vinum in casu
recto, dolium in casu obliquo. Si *Calviniani* propterea
continens pro contento sumi putant, aut quia per pronomen
demonstrativum HOC in casu recto solum dolium si-
gnificatur, aut quia & dolium & vinum per pronomen de-
monstrativum HOC in casu recto designantur, sibi ipsis
contradicunt. Hi ipsi enim *Calviniani* fatentur, non posse
asserri de vino & dolio, quod sint vinum, & dici, hoc dolium &
vinum in eo est vinum, nam dolium non esse vinum. Vid. *Johan-*
nes Simonis Vind. suæ de Sacr. Cœn. doctr. disp. 2. th. XI. It.
Johannes Vorstius lib. 1. Dissert. Sacr. cap. VI. pag. 121. At

verò dolium est vinum, si pronomen HOC in propositione illâ, Hoc, ostenso dolio, est vinum, aut denotat solum dolium in casu recto, aut significat & dolium & vinum simul in casu recto. Si verò Calviniani in propositione hac, Hoc, ostensò doliò, est vinum, ideò continens pro contento sumi existimant, quòd particula *δεστικη* HOC vinum denotet in casu recto, dolium in casu obliquo, valdè sunt inepti. Quando enim subjectum duo involvit, unum in casu recto, alterum in obliquo, & prædicatum realiter idem est cum subjecto saltem quoad id, quod in subjecto in casu recto importatur, non sequitur, quòd continens sumatur pro contento, ceu supra §. 13. th. 3. probavimus.

§. 18. Nobis, qui modò adductò prædicationes exhibitivas explicamus, ex *Socinianis* quoque adversatur *Jonas Slichtingius*. Ita enim ait lib. contra *Meisn.* pag. 732. Quod recentiores quidam ex *Lutheranis* particulam hoc ad panem simul & ad Corpus Christi referunt, ii inter alios *Lutheranos* & *Pontificios* mediis, dum utrumque dicunt, utrinque τὸ πρῶτον deserunt, proprioque, quod adferunt, exemplo refutari possunt. Si quis, inquiunt, alteri tradat marsupium, in quo centum sunt floreni, dicere solet, accipe, hoc sunt centum floreni. Profectò qui sic loqueretur, ad regulas revocandus esset. Ut rectè sic loqueretur, at certè improprie. Nec enim marsupium cum centum florenis centum esse floreni propriè dici potest. Ad hæc *Slichtingii* verba resp. Equidem ex *Lutheranorum* mente particula Hoc in verbis Institutionis panem simul & Corpus Christi significat, sed inæqualiter, cum panem designet in obliquo & per modum connotati, Corpus Christi autem formaliter & in casu recto: Sic verò à proprietate verborum Christi non receditur, ut ex superioribus patet. Neque *Lutherani* exemplo à marsupio desumpto, quod adferunt ad illustrandam & explicandam Salvatoris propositionem, possunt refutari. Falsum enim est, quod qui marsupio alteri tradito dicit, accipe, hoc sunt centum floreni, ad regulas revocandus sit. See enim ad consuetudinem loquendi usu receptissimam accommodat,

modat, ut supra à nobis traditum est. Neque is, qui marsupio porrecto inquit: Accipe, hoc sunt centum floreni, loquitur improprie. Non enim illius propositionis: Hoc (monstrato marsupio) sunt centum floreni, sensus est, marsupium sunt centum floreni, ut *Slichtingius* existimat, sed genuina interpretatio hæc est: hæc res, quæ in marsupio latet, sunt centum floreni, ut centum floreni de se ipsis prædicentur. Cæterum hîc *Slichting* sermonem suum dirigit in *B. Leonh. Hutteri comm. in lib. Christ. Concord. art. 7. ubi pag. m. 629.* ait: Propositionis hujus (hoc est corpus meum) subjectum nempe particula *δεξινη* Hoc integrum complexum involvit constans pane & corpore Christi. Secutus est *Salvator* hæc phrasi suâ communem loquendi consuetudinem, quâ duas diversas res, quæ unô complexu continentur, unâ dictione enunciamus; ut si quis alteri tradat marsupium, in quo centum sunt floreni, dicere solet, Accipe, hoc sunt centum floreni. Verum *B. Hutteri* mens non est, quòd pronomen demonstrativum Hoc ita involvat integrum complexum constans ex marsupio & centum florenis, ut utrumque designet in casu recto, & dicatur, marsupium & centum floreni in eo sunt centum floreni, sed genuina *B. Viri* mens est, pronomen Hoc ita involvere integrum complexum, ut unum v. g. centum florenos designet in casu recto, alterum autem v. g. marsupium in obliquo & per modum connotati ut sensus sit: Hæc res, quæ continetur in marsupio, sunt centum floreni.

§. 21. Cæterum ex fundamentis nostris supra traditis ac explicatis *Theologi* solidas petunt responsiones ad varia *Reformatorum* argumenta, quibus probare conantur, in illa prædicatione *Salvatoris*: Hoc est corpus meum, pronomen Hoc in casu recto significare panem. Videatur omnino *Magn. Dn. D. Bechmanni Patroni ac Præceptoris nostri etatèm venerandi Disp. Inauguralis.*

HIC ESTO TERMINUS.

CO-

COROLLARIA.

- I. Causalitas causæ impulsivæ externæ non est causalitas causæ finalis adeoque causa impulsiva externa qua talis non est causa finalis.
- II. Causalitas causæ impulsivæ externæ & causalitas causæ finalis differunt potissimum duobus modis: (1.) Causalitas causæ impulsivæ externæ est motio sub ratione boni & mali, Causalitas autem causæ finalis est motio tantum sub ratione boni. (2.) Causalitas causæ finalis quæ talis est motio, quæ causa finalis movet ad sui appetitionem, effectionem vel consecutionem: At causalitas causæ impulsivæ externæ quæ talis non est motio, qua movet causa impulsiva externa ad sui appetitionem, effectionem, vel consecutionem.
- III. Causalitas causæ impulsivæ internæ non est unio ejus cum appetitu agentis.
- IV. Malè definitur Persona per essentiam indivisibilem, item à Crellio & aliis per substantiam primam intelligentem: Rectè definitur Persona per suppositum intellectu præditum.
- V. Non omnis substantia prima creata est suppositum, ceu *Svarez* statuit.
- VI. Minus rectè substantia in communi definitur per modum.
- VII. Nihil habitus strictè dicti capax est, nisi sit persona aut se habeat per modum personæ.
- IX. Doctrina de Conversione singularem habet usum in controversiis Theologicis.



90 A 6706

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







LOGICA

tionē,

lisfima materia
us exhibitivis

VINI NUMINIS
imæ Facultatis
nicæ

I D E

O Lebenstreit/
rl. Var.

oni exponet

LHELMUS Göber/
uringus,
DR,
Jun.

LXXIII.

Æ,
WERTHERI.

6